



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. I. Quæ sit radix & origo libertatis creatæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

baro pugnandum est, & hoc potentissimo verbo, cuius ut Deus? vel ut loquitur S. Thomas: **NON ITA TAMEN SICUT PRIMO AGENTI,** nota eius doctrina facile subvertetur.

ARTICULUS II.

Quæ sit radix & origo libertatis creatæ?

Duplicem libertatis nostræ radicem agnoscunt Thomistæ cum S. Doctore. Periherm. lect. 14. Unam remotam, & extrinsecam, ac in Deo existentem. Alteram proximam, & intrinsecam, & in ipso homine residentem. Prima est efficacia infinita divinæ voluntatis, attingentis substantiam & modum in nostris operationibus. Secunda est indifferentia objectiva iudicij, quæ intellectus iudicat, bonum propositum voluntati ut prosequendum, non habere necessariam connexionem cum bono in compuni, ad quod est naturaliter determinata voluntas. Utque libertatis radix breviter hinc explananda est.

§. I.

Prima libertatis radix explicatur.

Dico primò: Secundum principia D. Thomæ, prima radix contingentie & libertatis in rebus, est summa efficacia divinæ voluntatis, cuius causalitas se extendit ad omne ens, & ad omnes modos & formalitates entis.

Hanc conclusionem perpetuò & constanter docet D. Thomas in omnibus locis in quibus agit de concordia libertatis creatæ cum voluntate Dei, ejusque providentia & prædestinatione: nunquam enim aliter hæc extrema inter se conciliat, quam ad infinitam divinæ voluntatis efficaciam recurrendo. Ut videri potest supra quæst. 19. art. 8. ubi quærit: *An voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat?* Et rejectâ sententiâ aliquorum, qui libertatem & contingentiam rebus volebant peti solum ex ipsis causis secundis liberis & contingentibus, sic concludit. *Et idem minus descendendum est, quod hoc contingit propter efficaciam divinæ voluntatis.* Cum enim aliqua causa efficiax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod sit, sed etiam secundum modum fieri vel essendi. Ex debilitate nam virtutis active in semine, contingit quod filium nascitur dissimilis patri in accidentibus quæ pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, qui Deus ea fieri vult. Vult autem quadam fieri Deus necessario, quadam contingentem, ut sit ordo in rebus ad complementum universi: Et idem quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deperire non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes deservibiles, ex quibus effectus contingentem eveniant &c. Idem sub eodem ferè terminis repetit opusculo 3. cap. 140. Ad efficaciam (inquit) divinæ voluntatis pertinet, ut non illud fieri vult: Vult autem quadam fieri necessario, & quadam contingentem, quia utrumque requiritur ad complementum esse universi: ut igitur res utroque modo proveniant, quibusdam adaptat necessarias causas, quibusdam vero contingentes. Et quæst. 23. de verit. art. 5. *Voluntas divina est agens fortis-*

simum, unde oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solum fiat id quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem, sed ut fiat eo modo quo Deus vult illud fieri, id est necessario vel contingentem, cito vel tardè. Idem docet 1. p. quæst. 22. art. 4. præsertim in resp. ad 1. & 3. quæst. 23. art. 6. quæst. 83. art. 1. ad 3. 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 1. tertio cont. Gent. cap. 94. quæst. 6. de verit. art. 3. ad 3. & 1. ad Annibal. dist. 47. quæst. 1. art. 4.

Respondent Adversarij: D. Thomam in his locis libertatem & contingentiam rerum in efficaciam divinæ voluntatis reducere, non quod libertatem & contingentiam rerum suâ efficaciam & causalitate immediatè producat; sed quia produxit causas liberas & contingentes, ex quibus effectus liberi & contingentes procedunt.

Sed contra primò: D. Thomas loco primò relato, scilicet 1. p. quæst. 19. art. 8. initio corporis articuli, hanc responsionem adducit, eamque duplici ratione impugnat, ut ibidem videri potest, & in fine sic concludit: *Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingentem, quia causa proxima sunt contingentes, sed propterea quia Deus voluit eos contingentem evenire, contingentes causas ad eos præparavit.* Idem habet quæst. 23. de verit. art. 5. citato.

Secundò: Verbum *preparare*, seu *aptare* causas contingentes ad suos effectus, quo utitur S. Doctor locis relatis, non idem sonat ac illa creare vel producere, ut Adversarij malè interpretantur, sed potius significat eas movere & applicare ad agendum: ut patet quando dicitur Proverb. 31. *Preparatur voluntas à Domino.* Hæc enim verba, non creationem, sed motionem & applicationem voluntatis designant, sicut & ista Apostoli ad Hebræos 13. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem.* Unde S. Thomas hunc locum exponens, sic ait: *Deus quando immitit homini bonam voluntatem, aptat eum: id est facit illum aptum, & idè Apostolus dicit: aptet vos in omni bono.* Spuria ergo ac legitima, & à mente S. Doctoris prorsus extranea est hæc Adversariorum interpretatio.

Tertio, hæc responsio subtrahit ab immediata Dei causalitate, & consequenter ab ejus prædestinatione, prædefinitione, ac providentia, ipsum modum libertatis & contingentie qui in nostris actibus liberis reperitur, quod est apertissimè contra D. Thomam quæst. præcedenti art. 4. ad 3. ubi ait: *Modus contingentie & necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis.* Et 1. Periherm. lect. 14. *Voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, & veluti causa quadam profundens totum ens, & omnes ejus differentias: sunt autem differentia entis possibile & necessarium; & idè ex ipsa voluntate divina ordinantur necessitas & contingentia in rebus.* Item docet 6. Metaph. lect. 3. in fine, ubi sic dicitur, & infallibilitatem divinæ providentiæ cum humanorum actuum contingentia & libertate, hoc modo conciliat. *Sciendum est (inquit) quod ex eadem causa dependet effectus, & omnia quæ sunt per se accidentia illius effectus: sicut enim homo est à natura, ita & omnia ejus per se accidentia, ut risibile & mentis disciplina susceptibile. Si autem aliqua alia causa non faciat hominem simpliciter, sed hominem talem, ejus non erit constituere ea quæ sunt per se accidentia hominis, sed solum utrius. Politicus enim facit hominem civilem; non tamen facit*

cum

eum mentis disciplina susceptibilem, sed hac ejus proprietate utitur ad hoc ut homo fiat civilis. Sicut autem dictum est, ens in quantum ens est, habet causam ipsum Deum. Unde sicut divina providentia subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis, in quantum ens, inter quae sunt necessarium & contingens. Ad divinam igitur providentiam pertinet, non solum quod faciat hoc ens, sed quod det ei contingentiam vel necessitatem... Quod quidem est singulare in hac causa; reliqua enim causa non constituunt legem necessitatis, vel contingentiae, sed constituta à superiori causa utuntur; unde causalitati cujuscunque alterius causa subditur solum quod ejus effectus sit, quod autem sit necessarium vel contingens, dependet à causa altiori, quae est causa entis, in quantum ens est, à qua ordo necessitatis & contingentiae in rebus provenit. Non poterat S. Doctor felicitus, & clarioribus verbis, mentem suam exponere, ac primam nostrae libertatis radicem detegere. Unde ad complementum hujus quaestionis, & confirmationem hujus doctrinae, quae scholae nostrae, unum est deus ac ornamentum, oportet hinc breviter ostendere, ex quibus fontibus eam hauserit Angelicus Praeceptor.

§. II.

Ostenditur hanc D. Thomae doctrinam, ab ipso Ecclesiae capite, & Apostolorum Principe, primitus esse derivatam.

26. Hoc curiosè & eruditè ostendit P. Hyacinthus Libelli (vir Caramuelis judicio eruditissimus, & ingeniosissimus, ac Romae olim Professor Theologiae in conventu Fratrum Praedicatorum super Minervam, nunc verò sacri Palatii Magister dignissimus, in quodam opusculo de origine doctrinae D. Thomae, circa concordiam divinae gratiae, & decretorum divinorum, cum libertate nostra, ab eodem Caramuele in sua Theologia fundamentalibus, in expositione Thesum de scientia Dei, relato: ubi haec habet.

27. Primus haereticorum qui Ecclesiam Dei antequam adolesceret praefocare tentavit, fuit Simon Magus, seductor insignis, qui incredibilem habuit apud suos Samaritanos exultationem; adeo ut eum omnes virtutem Dei magnam appellarint; & nisi hujus irruentis mali principio Deus obstuisset, periculum fuisset ne adhuc in cunis vagiens Ecclesia comprimeretur. Multa crepuit de se, quae potius potentia quam opiniones appellari debent, sed (quemadmodum antiqui scriptores nobis reliquerunt) arbitrij creati libertatem potissimum tentavit evterere, ut cunctis libero arbitrio, quod est Christianae Religionis fundamentum, aedificium quod Apostoli suam doctrinam parabant extruere, prorsus impediret. Et quoniam vir erat callidissimus, & syco- phanta vaferimus, jam jam plurimos ad sui sequelam traxisset, quos veluti nepotes, Satanæ genitorum, cuius eum primogenitum Ignatius Martyr Episcopus ad Trallianos appellavit, generasset, nisi Deus opportunè occurrisset. Ipsi enim turbas Caesareae seducenti occurrit S. Petrus, Apostolorum Princeps, qui ipsum veluti apostatam, & detestatorè acerbis verbis redarguit, defectu non increpavit, subdolosè doctrinae technas detexit, disputa do sophismata resolvit, atque invictis argumentis perveraciam confodit.

Inter capita de quibus disputarunt S. Petrus, & Simon Magus, unum fuit de libertate arbitrij creati, contra quam argumentabatur Simon in-

dem prorsus arguere, quibus tunc nos adversarij nostri, & quibus solent impugnantissima auxilia efficaciter, nostra praescientiam praesertim de veritate objectiva & futuritione S. Petrus, post Christum primus Ecclesiae Minister, in eisdem prorsus modis respondit, quibus nos responderi solemus; adeo ut, me quidem judice, nec tantillum nostrae responsiones, à responsionibus D. Petri dissentiant. Sed undenam haec acceperim, tenere. Extant libri Recognitionum S. Clementis Romani, viri domi suae nobilitatis, qui ex Caesariis familia originem traxerit, quaeve D. Petro successit, & quem narrat à Petro vivente ad Apostolatus apicem vocatum, numquam de defuncto Romanam Ecclesiam gubernaret. Hunc libros praedictos scripsisse addunt omnes qui res antiquas curiosè scrutantur.

Inter alia quae libro 3. paulò post principum narratur, una disputatio est in Caesarea inter Simonem Magum, & Petrum Apostolum, ubi multa divine D. Petrus de malo, de felicitate, de studiis hujus vitae differuit. Sed de libero arbitrio, inquirente & contradicente Mago, D. Petrus ea respondit & resolvit, quae modo nos ipsi respondemus, & quae S. Thomas nobis ostendit ut responderemus. Quod ut quam verè cognoscatis, placet hinc disputatione, quoad ea quae rei nostrae inserviunt, transcribere. Dicebat Simon, quòd unusquisque, sicut ei fato decreverat, vel sapit aliquid, vel intelligit, vel patitur, & in nulla re hominem esse sui arbitrij. Ad contra Simonem, Petrus argumentatus est, necesse esse hominem esse sui arbitrij, aliter convulsa esse omnia, frustra studium sectandi meliora, frustra principes hujus mundi legibus praesse, frustra punire, vana jura populorum, miseris esse eos qui serviant cum labore justitiam; beatos verò illos qui in deliciis positi, cum luxuria & scelere vivent tyrannidem tenent. Quibus Simon minime acquiescens, & ultimum experimentum doctrinae D. Petri facere volens instituit, interrogans, si quod Deus vult esse, est: & quod Deus vult non esse, non est? Quasi diceret: si hoc michi concedas, jam fateberis nihil à nobis liberè agi; quippe quod Deus vult esse, necessarium est. Quae obiectio tam valida Simoni videbatur, ut considerans Petrum non responsum. se obtemperaturum sponderit, si illi D. Petrus respondisset. Quod argumentum illud est, quod Adversarij nostri insolubile existimant, & cui S. Thomas imperterritabili ac eodem semper tenore verborum respondit, cui Thomista summa amorem concordiam, & antiquis temporibus statifecerunt, & hodie quo tempore molestius perurgentur satisfaciunt. Videamus quae ostacula fuderit Petrus, & attentè proprietatem, quae magnificentiam doctrinae perpenderit. Dicit, omnium quae moventur, quaedam necessitate moveri, quaedam voluntarie, & liberè moveri: solent motus necessitate duci, ut statum compleant cursum: hominem verò actus suo liberè ac voluntarie chere. Tam ergo inquit (haec sunt verba D. Petri) ignoras Simon, & valde ignoras quomodo in singulis quibusque voluntas Dei sit? Quaedam enim volunt, ut diximus, ita esse, ut aliud esse non possent, quam id quod ab ipso instituta sunt. Et his neque praemia, neque supplicia statuit. Ea verò quae ita esse volunt, ut in sua potestate habeant agere quod velint, his pro actibus ac voluntaribus suis statuit, ut aut remuneratum